DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

AMAUROSI

COMPLECTENS.

AUCTORE F. CRUMPE.

OMNIUM sensuum quibus fruimur, exercitione cujus possumus vitam servare impendentia inter pericula, visus utilissimus est. Sed nobis accidit infeliciter, hunc sensum omnibus aliis expositiorem morbis generum diversorum sese habere, quorum lamentabilissima, quia frequentissima difficillimaque sanare, est sequens, de qua proposui tractare.—Amaurosis ab verbo Græcorum αμαυρoω, obscuro, nomen ejus habet,

olimque per nomen guttæ serenæ et cataractæ nigræ vocabatur. Sed fortasse hoc nomen habet colore ab nigro immobilitateque pupillarum, quæ sæpe observantur. CULLEN sic morbum definit: "Visus imminutus vel prorsus abo-"litus, sine oculi vitio evidente; plerumque "cum pupilla dilatata et immobili." Sed actionibus iridis varietas multa videtur. In formis nonnullis morbi more insolito contractatur: in exemplis aliis sæpe integra mobilitate gaudet; dum in multis casibus amauroseos perpetuo extenditur ut appareat deesse.—Morbus, ab numero causarum oriens, in structuram oculi effectus procreansque diversos, semper uniformitatem exhibere non potest. Amaurosis binis modis potest in homines accedere; nempe, monocula, dum tantum invadit oculum alterutrum, cujus rei numerosa sæpe exempla observantur, quorum nonnulla amaurosin sinistri aliaque oculi dextri exhibent, vel sit oculis ambobus semel ac simul, aut in uno post alterum oborta.—Magnitudo visus per amaurosin læsi potest duplicato esse, viz. visus dum omnis

penitus interiit, vel reliquiæ aliquæ illius etiamnum remanent. Sic perfecta cum visus omnis amittatur, ita æger non lucem a tenebris discernere queat; sed imperfecta dum aliquid visus superest; scilicet, dum æger diem a nocte dignoscit, aut lumen admotum oculis percipit. Una species hujus morbi valde lenta in ejus principio est. Nulla actio morbida in oculo indicatur: progressus ejus ad amaurosin perfectam diutine est: sæpe menses multos, etiam aliquando occupans annos; obstacula facultatem cernendi minuenda constanter adesse æger queritur: telas, maculas nigras vel igneas, in formis sæpe differentes, ante oculos ejus constanter volantes, intercepisse attentionem ejus cum ullam rem intueretur. In forma altera cephalalgia frequentissimus comes est, simulque varietate non sine insigni, seu tempus spectatur quo invadit, seu duratio, intensitas, locusve, in quem desævit. — Scriptores haud pauci amauroseos sunt, qui cephalalgiam inter ejus causas relatam maluerunt; quia, utprimum amaurosis oborta est, sæpe viderunt ce-

phalalgiam deesse. Vero in casibus multis dissectio docuit in encephalo causas adfuisse manifestas; sed in aliis hæ non observandæ fuerunt. Nunc varietates hujus symptomatis expendamus, observationes testantur, tempus quo dolor incepit caput affligere, varium omnino esse; sæpenumero enim præcedit multo ante amaurosin aut ex intervallis vel continenter affligit: sed dolor primo capitis cum amaurosi ipsa alios invadit, et contra interdum, visu jam ante extincto, vel hebetato, hic dolor serius supervenit. Duratio ejusdem perinde varia est; etenim si cum imminutione visus inchoat, admodum raro cedit sua sponte; sed in diuturnitatem plerumque abiit. Quod si incepit multo antequam visus hebetetur, haud accidit raro ut eam aborta amaurosis solvat. Intensitas quoque non omnibus eadem est; nam etsi excrucians plerisque dolor est, tamen etiam aliis levis est; necnon partes capitis in quibus restat perinde multifarii sunt. — In hominibus nonnullis gastricæ irregularitatis irritationisque cum symptomatibus primis viis amaurosis oritur. —

Scarpa, in multis exemplis quæ inveniuntur in volumine ejus scripto de morbis oculorum, hoc bene ostendit causam incognitam guttæ serenæ in præcordiis sæpe aliisque in latere quidem in primis.—Richter annotavit, hoc multorum exempla ægrotorum probant, qui post affectus vehementes animi et mœrores diuturnos visum perdiderunt. Varia symptomata non raro amaurosin comitantia hoc confirmant, quæ tempore eodem quosdam errores viscerum abdominalium functione, præsertim hepatis detegunt.—Ophthalmiam internam comitantem dolore violento in profundum oculi prægrediri deprivationi visus interdum observatum est. Sed in generibus alteris quæ sæpenumero videntur, sine symptomatibus ullis violentis cæcitas venit, productioni cujus nec æger medicusve possunt rationem veram assignare. Quod si æger in principio oculum unum tantum affectum habet, experientia quotidiana docet, oculo uno affecto, alterum serius vel citius eodem vel alio genere vitii haud raro corripi.—Hoc phænomenon ab consensu oculorum procedit, quod exemplis il-

lorum illustratur, qui inflammationem diuturnam unius oculi habent, quæ altero communicari sæpe videtur. Hoc similiter inventum est illis contingere qui cataractas habent.—Amauroseos ad bina diagnosis maxime pertinet; nimirum, ut morbus primo cognoscatur adesse, tum rite dignoscatur quoque ab aliis cum queis confundi vel complicari posset. Interea vero hæc amauroseos duplex diagnosis admodum ardua est, cum ob varietatem gradationis morbi, sedis signorumque determinantium, tum ob defectum signorum pathognomicorum, ut hactenus omnes periti ingenue confessi sunt. Nihil a pupilla diffusa et immobili potest vero cognosci; ut in nonnullis amauroticis pupilla motum spontaneum habet, dum in oculis sanis habere dilatationem magnam sæpe percepta est. Morbus vulgo putatur præsens, si cæcitas ab causis generare eam idoneis invadeat, vel certe per phænomena amaurosi propria venit. Verum neque hæc certiora sunt; namque haudquaquam amaurosin veram ab simulata discernunt; etenim, præter mobilitatem seu immobi-

litatem pupillarum cum cætera ægri relatione pendeant satis apparet, visum quem abesse homo queritur posse præsto esse, quippe nec pupilla mobilis vel immobilis evidenter sublatum morbum vel non sublatum arguat. Sic non paucis hujus morbi, ut non possumus conclusionem facere a quo observatur in oculum manifestum est; idcirco necesse est, symptomatibus morbi quibus affligitur æger confidere. Sed cum amaurosis perfecta formetur, et longo tempore extiterit, præsertim ubi multo dilatatur iris est, pupilla colorem corneam assumat, qui magnopere nigritudini lucidæ quam videmus in oculo sano dissimilis est.—Hunc morbum possumus faciliter recognoscere ab irridiatione subpallida quæ sæpenumero in partem oculi posteriorem videtur, et conditioni lentis subnubili similis apparet. Forsitan signum certissimum, ubi actionis morbidæ in oculo nulla effectus videtur, obliquitas in visu est, quæ ab amaurosi imperfecta putatur inseparabilis esse. In hoc statu ægri non tantum non possunt alterutrum vertere oculum versus rem aliquam,

sed etiam ambos oculos ad unum punctum nunquam derigunt. Hoc signum dicitur unicum esse, ubi statum naturalem oculus monstrat.—Ut in multis exemplis hujus morbi, color albidus videtur, quem prendere pro cataracta simplice incipiente possumus, altero morbo non conjuncto, præsertim si ullis symptomatibus amauroseos non comitata sit, atque ut in hominibus multis eadem actio morbida, quæ processum in humore vitreo disorganizationis incepisset, aut membrana hyaloidea, vel etiam in aliis partibus oculi sæpe originem cataractæ daret, gradatim capsulæ lentis sese extendendo, atque ut nulla apparet ratio cur oculus amauroticus cataractas futuro tempore non habent, nobis hos casus distinguere, in quibus est morbus complex comitatusque cum cataractis, ab illis in quibus cataracta affectio simplex solaque est.—Unam causam principalem frustrationis in operatione ortam esse cataractæ notari dignum est, ab nobis considerationem non habentibus causarum atque symptomatum priusquam manu morbum tentamus, unde in hanc operationem

utilissimam mala fama adducitur. Signa inter oculum amauroticum alteratione structuræ organica comitatum et cataractæ casum simplicis, ab observationibus factis in oculum morbosum, symptomatibusque præsentibus atque præteritis pendunt. Cum cataractis si amaurosis conjuncta sit, vulgo adesse primus morbus putatur, si pupilla dilatata (extracto belladonæ si necesse sit) hebetudinem valde magnam præsentiæ lucis ostendit, eodem tempore qualem diminutionem aspectu lentis opacæ non indicante insuetam potestate videndi. Iterum, si oculus non perfecte amauroticus sit, æger multo melius potest lucem sentire, sole in ejus altitudinem movente. Inter morbos duos discrimen certius est, si se pati dolores unremittentes atque violentos in aliqua parte capitis homo dicat, vel in orbe oculorum ullo tempore antea cæcitas illi advenit, vel si figuras diversas forma et colore ante oculos ejus constanter volantes percipi.—Contra, ille qui tantum cataractas habet, multo melius vespere videt, vel in loco ubi solis non magna potestas est; dicit-

que nubem constanter ante oculos ejus, lenem in primo adesse, sed augentem indies, et usque ad finem vulgo præsentiam lucis percepit. Sed si cataractas, quæ subito sese ostenderunt, cum cæcitate habeat, et comitatas eodem tempore cum cruciatu violento in oculorum profundo, faciem vel aspectum quem possumus observare, sed non describere bene habebunt; iridi aspectum convexum dabunt, quo modo cameræ anterioris spatium minuunt, et pauca sanguinea conjunctivæ vasa erunt in conditione varicosa, dignum est in hac descriptione casus notari. Ut amaurosis, etiam incurabilis, ab causis plurimis oritur, et sine dolore vel signis ullis supra dictis; si ei cataracta conjungatur, curatione cujus operatio peragitur, corpus opacum gradatim abstrahetur, nunc, si oculum ægri versus lucem, etsi magnam vertas, in retina nulla impressio facietur; et si pupilla dilatata sit, tota facies interna oculi pulchra cum rubro colore videtur.—Semper prognosis amauroseos periculum præsagit, et multum ab causa pendet: idcirco nobis necesse est,

ab symptomatibus comitatis atque præteritis, duratione morbi, causis remotis atque prædisponentibus, semel cum aspectu oculorum, opinionem deducere.—In capita tria causas methodice divisi, secundum locum modumque illorum operandi, quo morbum hunc producunt. Primum has causas continet, quæ actiones morbosas producendo in oculum agunt: secundum has complectat, quæ morbum producunt, functiones cerebri vel nervi optici mechanice impediendo: Tertium per operationes incognitasque nervorum agit.—Curatio amauroseos debet causis dirigi quæ illi originem dederunt, quanquam non sequitur, causis inventis, ut caligo curaretur. Hæc difficultas curationis a natura causæ proveniat, aut ab mutatione structuræ quam producit. Ubi hic morbus a lenta sanguinis determinatione oculis surgit, præcipue videtur illis venire qui in res corruscantes aut valde minutas diu attentes oculos tenent. Fabricatores horariorum manualium, homines qui argentum signis decorant, necnon fœminæ quæ affatim acupingunt, sæpe affligi visu immi-

nuto, aut amaurosi incipiente videntur. Hanc affectionem originem ejus habere a dilatatione temporanea quarundam venarum tunicæ choroidæ non improbabile est. Cum hæc dilatatio mutationem in tunicis venarum fecerit, morbus permanens incurabilisque fiet. Indicationes curationis huc utilitatem evitandi causas remotas monstrant, quo modo morbus principue curandus est; quare ægris maxima necessitas erit occupationem illorum mutare.—Ubi amaurosis ab infarctu subito sanguinis in vasis oculorum venit, sæpe cæcitatem citius dicto instantaneam producens, frequenter hominibus validis plenisque sanguinis accidit, qui durum laborem peragunt. Ut in hoc casu proclivitas magna sanguinis capiti atque oculis est, statum plethoricum corporis indicatio manifesta erit, non tantum, sed principue oculorum minuere: hoc facere necessitas nobis est sanguinem e brachio vel potius ab arteria temporali detrahere, necnon vicinitati oculorum hirudinibus vel venæ angularis sectione, atque in capite corpora frigus inducentia locare, et medicinis

purgantibus uti. Si amaurosis ab hac causa progrediens longum non levata duret, alteratio structuræ tunicas vasorum occupabit, quo pacto morbus incurabilis semper manebit. Si ophthalmia interna videretur amaurosi originem dare, ab dolore violento quod æger in capite bulbisque oculorum sentit, semel cum visus caligine, potest cognosci. Est natura hujus actionis inflammatoriæ in oculos producere maxima mala si permaneat sævire; quare necessitas maxima est nobis, ut tentaremus, sine mora, illam subjugere, quod ab evacuatione magna sanguinis atque hirudinum applicatione locali, cum fomentationibus calidis ad oculos, si ab illis vacuitas doloris inveniatur, posteaque applicatione emplastri cantharidis partibus illis quæ habent sympathiam oculis posset fieri. Regimen antiphlogisticum a principio observandum est; et omnia hæc remedia repetenda sunt, quoties symptomata postulant, viresque ægrorum permittunt. Sed si cæcitas aut hebetudo magna oculorum inflammatione evanescente maneat, beneficium ab usu leni interno

hydrargyri invenitur, non tantum in his casibus, sed præsertim in illis qui dolorem constantem in capite habent, quem ægri esse molestiorem illis caligine ipsa frequenter declarant. Hoc remedium in Nosocomio Londini pro morbis oculorum ægris datum vidi, atque eundem valde laudatum ab D[re] Farre audivi: certe effectum capitis sæpissime fugandi dolorem, quanquam reddendi visum non semper potestatem habet. De utilitate mercurii in hoc morbo, Dom. Ware dicit: "In this sort of "case the impairment of sight is usually pre-"ceded by severe pain; and the original cause "may be an internal ophthalmy of long conti-"nuance: the crystalline is sometimes visibly "opaque: in these instances the sublimate has "proved superiorly and more certainly effica-"cious, and consequently is preferable to all "external applications whatever. I recom-"mend $\frac{1}{4}$ of a grain as a quantity proper for a "common dose, and find it agree best with the "stomach, when first dissolved in half an ounce "of brandy, and taken in a basin of sago or gruel.

"The medicine is to be continued as uninter-"ruptedly as the constitution will allow, for a "month, six weeks, or even longer *." — Si mercurius non effectum optatum habeat, liceat nobis potestatem electricitatis tentare, quæ in curatione amauroseos multum laudatur. Sub hoc capite hanc speciem hebetudinis oculorum narremus, in qua hebetudo visus non raro res prima est quæ ægri attentionem arripit. Si homo statim corporis plethoricum habeat, detractio sanguinis bonam terminationem exhibeat morbo; sed hydrargyrum celerrime in corpore factum est remedium quo maxima fiducia ponenda est, quodque hucusque morbum curando effectum specialem monstravit.—Quando tumoribus dilatatione circuli Willisii, aut collectionibus fluoris ullius in cerebro amaurosis producitur, ars nostra equidem potest non facere multum. Nuper in uno nosocomiorum Londini juventutem vidi, qui ab hac causa perfecte amauroticus fuit, quanquam illo tempore alteræ functiones sensorii potestatesque vitæ

* Chirurg. Observ. relative to the Eye, by James Ware.

animalis permanserunt; sed amplificatio tumoris gradatim pressuram augens, in cerebrum cito effecit, ut omnes functiones languescant, et etiam ut finem naturæ daret.—Si hic morbus ex tumore surgit, qui in concavo osseo oculum continente jacet, sed quem non sit chirurgo potestas removare, tunc extirpatio hujus oculi commoda erit, ut illo modo participatio sympathetica oculi alterius evitabitur.—Nonnunquam per operationes incognitas nervorum amaurosis venit. Hic morbus * a manustupratione surgere, usuque immodico immaturoque rerum veneris interdum videtur, quæ primo systema nervosum magnopere movent, posteaque debilitate, postremoque post dies agmine longo malorum et imbecilitate mentis judicantis sequuntur. Non tantum diminutio visus, sed alia mala, quæ sæpe eam comitant, abstinendo celeriter a causa exitiosa atque remediis tonicis utendo, et exercitione, aëre salubri, cum cibo nutrienti facile digestionis fugarentur. CELSUS

* Vide Tissot's Advice, &c. and Scarpa.

certe cognovit unam speciem amauroseos faciliter vincibilem esse. Sic dicit: "Quidam sine "ulla manifesta causa subito obcæcati sunt. "Ex quibus nonnulli, cum aliquandiu nihil vi-"dissent, repentina profusione alvi lumen re-"ceperunt *." Sine dubio hæc sententia CELSI ad curationem amauroseos sympatheticæ refert, quæ hominibus contingere sæpe videtur, qui ab vitio aut irritatione in intestinis posita, aut in systemate chylopoietico laborant. In caligine ab hac causa veniente, defectus appetentiæ ructusque acidi saporesque ingrati in ore, sæpeque cum nausea, perceptione tensionis atque doloris, pressura in regione hypochondriaca facta, plerumque adsunt.—Nunc indicatio curationis nobis dirigit necessitatem, primo, stimulos morbificos a viis primis expellendi, quod emeticis peragetur. Inter emeticos antimonium tartarizatum omnibus aliis præferendum esse experientia docet, præsertim ut bonum effectum habeat agendi officium optimæ medicinæ resolventis, ubi dosibus parvis cum

* Celsus de Re Medicina.

medicinis purgantibus aliis conjunctum detur. Cum res offendentes perfecte evanesci visceribus abdominis putemus, ægrumque non tantum ad sanitatem redigi, sed magnopere functiones oculorum recuperavisse, tunc nobis oportet systema gastricum roborare, eodemque tempore excitare systema nervosum, sed præsertim oculorum, qui ab connexione sympathetica torpent. Caliginem a vermibus sæpe provenire bene cognitum est, morbumque hunc cito factum esse vermifugibus exire. Amaurosis nonnunquam periodica videtur, aggrediens homines nocte vel die: ab hac causa hemeralopiæ aut nyctalopiæ nomen habet. Hic species morbi a sympathia venit. PELLIER * in nautico vesicatoriis emeticisque atque catharticis hemeralopiam fugavit. FOURNIER †, médecin de Montpellier, in militibus multis hunc morbum sanavit, detrahendo primo sanguinem, posteaque dando emeticos, post auresque vesicatoria applicando. Sic dicit: " His remediis beneficium

* Récueil de Mem. et d'Obs. sur l'Oeil.

† Guerin's Traité sur Maladies des Yeux.

" gradatim increvit, et iterando has res quas " conditio stomachi capitisque postulavit, mor- " bus celeriter exivit." Amaurosis ab evacuationibus suppressis venire, præsertim amenorrhœa dicitur, secundum opinionem chirurgorum peregrinorum. Sic RICHTER dicit: " Mu- " lier caliginem habuit a suppressione subita " mensium; functionem oculorum non iterum " recuperavit, donec fluxus menstrualis per tres " menses permanuit, tametsi evacuationes om- " nium generum utabantur." Curationi hujus lumbis applicatio hirudinum atque electricitatis regioni uteri multum laudatur, cum usu purgantium et medicinarum illarum quæ effectum habere excitandi menses dicuntur. Et etiam observemus, ut HIPPOCRATES ipse, pater medicinæ venerabilis, cognovit, amaurosin ab hac causa ejus originem habere; et ad hanc rem in coacis prænotionibus ejus sic animadvertit: " Oculorum caligines crebris appa- " rentibus mensibus solvuntur."—Visus ab læsionibus nervi frontalis minui aut prorsus perire observatur. HIPPOCRATES hoc cognovit, et sic

dicit: "In vulneribus quæ in supercilium aut "paulo altius inferiuntur, visus acies obtunditur; et quo vulnus recentius est, eo magis vident; inveterascente autem aut tardante, cicatrice magis obtundi solet." Morbus ab hac causa progrediens, olim incurabilis putabatur; sed nuper experientia Domini Hey docet, ut morbus, etiam ab hac causa progrediens, sæpe fugetur.—Applicatio frequens electricitatis oculo, atque cursui nervi frontalis, ramisque illius, cum usu interno submuriatis hydrargyri, camphore conjuncti, illo utebatur.—Ut curatio amauroseos tam sæpe difficillima est, si medicus causam ignoret, tunc illi oportet omnia hæc remedia, unum post alterum, aut multa eodem tempore, tentare, quæ manibus fuisse aliorum fausta dicuntur.

FINIS.